

§ IV.

DE MODIS, QUIBUS QUIS EXIMITUR A SOLVENDIS
DECIMIS : PRÆCIPUE DE PRIVILEGIIS.

Notandum prius, quatuor assignari a doctoribus recentioribus modos, quibus aliquis a solvendis decimis eximi potest, videlicet, privilegium, consuetudinem, præscriptionem, contractum vel pactum. Verum, quia canonistæ antiquiores ut plurimum contradicant, de singulis singula ponemus quæsitæ.

59. *A decimis prædialibus substantialibus per privilegium pontificium dispensari nemo potest.* — Quæritur itaque I. An possit aliquis privilegio eximi a solvendis decimis? Resp. I. A solvendis decimis prædialibus quoad substantiam, quatenus nempe sunt necessariae ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ, nullo nec pontificio privilegio eximi quis potest a solvendis decimis, si exinde parochus privilegiati seu dispensati, necessaria caret sustentatione. Ita Barbosa, *de Offic. et potest. parochi.* part. III, c. xxviii, § 3, n. 12, et canonistæ non tantum antiqui sed recentiores fere omnes. Ratio est, quia tam hi, quam illi unanimiter fatentur decimas quoad substantiam esse de jure divino per jura n. 8. citata. Contra jus autem divinum, neque pontificium privilegium aliquid valet; cum in dicto jure dispensare nequeat, ut habet communissima theologorum et canonistarum, arg. can. *Sunt quidam.* 6. cau. 25. q. 1, c. *Litteras.* 13, *de Restit. spoliat.* cum concordantiis: eo quod inferior in lege superioris dispensare nequeat, arg. Clem. *Ne Domani.* *de Elect.*

60. *Exempto a decimis prædialibus quoad substantiam non est proprie dispensatio, vel privilegium.* — Resp. II. Etsi possit aliquis per pontificem eximi a decimis prædialibus tam quoad substantiam, quam formaliter sumptis, si non obstante tali exemptione Ecclesiæ minister adhuc congruam et sufficientem sustentationem habet, nihilominus talis exemptio nec propria dispensatio, nec proprium privilegium est. Prima pars hodie caret controversia, patebitque n. 62, et seqq. ubi dicitur, quod plures de facto exemerit Papa a solvendis decimis omnibus. Altera pars docetur a Glossa, in c. *A nobis.* 24, h. t. et omnibus iis, qui docent decimas etiam formaliter sumptas esse de jure divino, et dictis supra n. 13, ubi late probavimus decimas non tantum quoad substantiam, sed etiam formaliter, id est, secundum determi-

natam quantitatem decimam nempe partem sumptas, esse de jure divino: in jure divino autem nequit pontifex proprie dispensare, uti primum n. præcedenti diximus: ergo.

61. *Sed improprie seu remissio juris divini certo modo facta.* — Si quæris, quid ergo sit illa pontificia exemptio, qualiter item, et quomodo a decimis jure divino debitis eximere aliquem possit pontifex? Resp. esse remissionem juris divini, quam facit tanquam administrator totius patrimonii Christi. Nam sicut procurator cum libera et generali administratione potestatem habet, res administrationi suæ commissas distrahendi, commutandi, ac etiam pro justo arbitrio suo subinde nomine principalis remittendi l. *Procurator.* 58. ff. *de Procurat.* ita etiam Papa similem potestatem habere censetur circa dispositionem decimarum, et aliarum rerum ad patrimonium Christi spectantium, utpote plenarium jus administrationis earumdem habens, arg. c. ii. *de Præbend.* in 6. ut proin nec mirum nec malum sit, si potestate sua utens, pro arbitrio suo, et ad bonum finem aliquibus decimas jure divino debitas, subinde remittat, arg. can. *Sine exceptione.* 52, cau. 12, q. 2. eo fere modo, quo obligationem ex voto, indeque jure divino debitam, remittit. Ita ad propositum sentit Gutierrez apud Barbosam, *de Offic. et potest. Paroch.* p. III, cap. xxviii, § 3. n. 12; Abbas, in c. *A nobis.* 24, h. t. n. 4; Glossa, in c. *A nobis.* 24, h. t. vers. *Exemptus.* et canonistæ antiqui plerique.

62. *Regulares omnes hujusmodi dispositione improprie exempti sunt a solis decimis novalium, hortorum, item et nutrimentis animalium.* — Quæritur II. An aliqui, et quoniam hodie privilegio seu impropria hujusmodi dispensatione pontificia seu remissione juris divini sint exempti a solvendis decimis? Resp. Omnino esse aliquos; quorum aliqui sunt exempti privilegio corpori juris inserto; alii autem privilegio speciali. Patet inductione.

Et quidem primo per privilegium juri communi insertum omnes regulares, sicut etiam clerici in communi viventis exempti sunt a solvendis decimis personalibus omnibus; a prædialibus vero solis illorum fructuum, quos de hortis suis, et de nutrimentis animalium percipiunt, necnon illorum, qui ex novalibus, quos propriis manibus, vel sumptibus excolunt, proveniunt. Barbosa, *de*

Offic. et potest. paroch. loc. cit., n. 27; Ancharanus, in c. *Ex parte il.* 2, h. t. n. 3; Rebuffus, *de Decimis.* q. 14, n. 45, et communis aliorum, arg. can. *Decimas.* 47, cau. 16, q. 1, c. iii, h. t. et c. *Ex parte.* 10. eod. ubi regularibus Alexander III. indulgit, « ut de novalibus quæ propriis manibus vel sumptibus excolunt, et de nutrimentis animalium suorum, et de hortis suis decimas non persolvant. De aliis vero rebus decimas non possint subtrahere. »

63. *Nec Cistercienses hodierno jure plus exempti sunt.* — Secundo, Cistercienses, templarii, et hospitalarii in præfata c. x. sicut et in c. *Ad audientiam.* 12, eod. ulterius exempti sunt a decimis prædialibus non tantum novalium, sed etiam omnium aliorum prædiorum, quæ propriis manibus, vel sumptibus excolunt. Verum ampliatus hoc privilegium postea restrictum fuit in concilio generali, et statutum, ut de prædiis et terris non novalibus noviter acquirendis, etiamsi ea propriis manibus, vel sumptibus excolant, decimas solvant, si de talibus prædiis, ac fundis, antequam ad ipsos pervenerunt, decimæ solvebantur, c. penult. h. t. ibi: « Decernimus, ut (Cistercienses) de alienis terris, et amodo acquirendis, etiamsi eas propriis manibus, aut sumptibus excolant, decimas persolvant Ecclesiis, quibus antea solvebantur, nisi cum ipsis Ecclesiis aliter duxerint componendum. Et hoc ipsum ad alios regulares, qui gaudent similibus privilegiis, extendi volumus, et mandamus: » ut proin in privilegio exemptionis a solvendis decimis de terris post concilium generale c. penult. h. t. allegatum acquisitis, Cistercienses ab aliis regularibus de jure communi plus non differant, quam in hoc, quod illi non item isti exempti sint a decimis prædialibus etiam non novalibus illorum fundorum, ex quibus decimæ prius antequam ad eos pervenerunt, non solvebantur.

64. *Nisi quod exempti sint a solvendis decimis omnium prædiorum acquisitorum ante concilium generale.* — Quoad decimas vero de terris ante dictum concilium acquisitis, in hoc differunt ab aliis regularibus, quod Cistercienses de illis decimas dare non teneantur, etsi antequam ad eos pervenerunt, decimæ fuerint solutæ. Fagnanus, loc. cit. n. 18 et 19. eoque teste omnes, arg. cit. c. xxxiv. h. t. ibi: « De terris amodo acquirendis teneantur solvere decimas » ergo a sensu contrario de terris prius habitis non tenentur,

sed manet antiquum privilegium. Alii vero regulares de jure communi etiam de terris antea acquisitis (exemptis hortis, nutrimentis animalium, et novalibus, quæ propriis manibus aut sumptibus colunt) decimas solvevere teneantur, si de illis antea solvebantur arg. c. *Ex parte.* 10. h. t. ubi expresse statuitur, ut regulares cæteri de omnibus rebus quandocunque acquisitis decimas solvant, nisi sint novalia, hortus, aut nutrimenta animalium. Nec in contrarium facit, quod dispositio c. penult. h. t. Cistercienses eximens, etiam ad alios regulares extendatur: Nam contra est, quod dicta dispositio non absolute ad omnes alios regulares, sed cum limitatione ad alios regulares, qui gaudent similibus privilegiis, quibus gaudent Cistercienses: hinc quia de jure communi omnes cæteri regulares similibus privilegiis non gaudent, textu claro c. 10. h. t. sed tantum aliqui, et quidem privilegio speciali juri communi non inserto, regulares cæteri ex cit. c. penult. nihil favoris habent, consequenter de jure communi a solvendis decimis de terris etiam ante concilium generale acquisitis non sint immunes.

65. *Non item cæteri regulares loquendo de jure communi.* — Hinc Fagnanus, loc. cit. n. 18; Pirhing, h. t. n. 57. et alii cum granosalis sunt intelligendi, dum universaliter de omnibus regularibus docent, duo copulative requiri ad hoc, ut regulares teneantur ad decimas prædiales. Primo, ut prædia et fundi eorum sint acquisita primum post concilium generale. Secundo, quod antequam ad ipsos pervenerunt, decimis fuerint obnoxia; hæc enim doctrina non de omnibus regularibus, sed de solis Cisterciensibus, et illis, qui similibus cum eis gaudent privilegiis (quales sunt templarii, et hospitalarii cit. c. x. h. t. et nonnulli alii specialia privilegia extra corpus juris habentes) intelligi potest, et debet arg. cit. penult. et c. x. h. t. ut proin cæteri regulares de jure communi ad decimas de terris tam ante quam post concilium acquisitis teneantur, etiamsi de illis antequam ad illos pervenerunt, decimæ non fuerint solutæ: nisi forsan similia prædia privilegio reali pontificio, aut consuetudine cum consensu pontificis ab onere essent exempta juxta dicenda infra. Ex quo infertur quod si regulares simili cum Cisterciensibus privilegio non gaudentes emant, vel donata, aut mutata accipiant prædia a Cisterciensibus teneantur de illis dare decimas, licet prius de illis Cis-

tercienses vi privilegii sui personalis decimas non dederint, sicut dare teneantur laici, si a Cisterciensibus hujusmodi prædia emerent; cum cæteri regulares de jure communi ad decimas prædiales æque teneantur ac laici, solis exceptis novalibus, hortis item, et nutrimentis animalium, quæ propriis manibus et sumptibus colunt, arg. sæpe cit. c. x. h. t.

66. *Bene vero per specialia privilegia corporis juris non inserta.* — Dicitur autem notanter « de jure communi: » quia ex specialibus privilegiis corpori juris non insertis ferè omnes regulares, teste Barbosa, *de Offic. et potest. episcop.* p. III. cap. xxviii, § 30, n. 20, hodie exempti sunt a solvendis decimis prædialibus de prædiis et fundis cunctis, sive ante, sive post concilium generale acquisitis, quæ propriis manibus, vel saltem sumptibus propriis excolunt. Quinam autem regulares in specie hujusmodi privilegia specialia a pontifice concessa habeant, quia facti est, cuivis religioni propria privilegia omnium optime scienti respondendum relinquimus; vel non contentum lectorem remittimus ad Barbosa, *de Offic. et potest. paroch.*, p. III, cap. xxviii, § 4, n. 21, et seqq.; Miranda, tom. II. q. 49. a. 12; Roderiq., tom. II. q. 44, a. 4 et 5; Portel, in *Dub. regul. vers. Decimæ*, qui non tantum religiones hujusmodi privilegiis gaudentes, sed et pontifices concedentes, necnon et bullas eorumdem adducunt.

67. *Quæ tamen non valent nisi habeant clausulam concilii generalis derogatoriam. Concilio generali non derogatur per dispositionem subsequenter nisi ejusdem expressa fiat mentio.* — Notandum tamen circa præfata regularium specialia privilegia, quod, quia per concilium generale c. *Nuper*. 34. h. t. allegatum, derogatum est omnium regularium privilegiis, vi quorum exempti erant a solvendis decimis, de prædiis et terris quas propriis manibus, vel sumptibus volunt, privilegia ejusdem tenoris de novo concessa non valeant, nisi dentur cum clausula derogatoria dicti concilii generalis; prout allegatis pluribus Decisionibus Rotæ bene advertit Barbosa, loc. cit. n. 37 et 38; Fagnanus, in c. *Nuper*. h. t. n. 27, et alii. Ratio sumitur ex defectu intentionis in concedente, quia Pontifex constitutioni concilii generalis nunquam censetur derogare, nisi clausulam concilii expresse derogatoriam adjiciat, ut cum citatis doctoribus docent Archidiaconus, in c. 1

de Constit. in 6, n. 2; Felinus, in c. *Nonnulla de Rescript.* cum communi aliorum, et sæpe decidit Rota apud Barbosam, et Fagnanum, loc. cit. arg. c. III. *de Capell. monach.* Censetur autem dicto concilio sufficienter derogatum, non tantum si præfata c. *Nuper*. h. t. in specie derogatur, sed etiam si alienius alterius generalis concilii, cum addito et « aliorum conciliorum » fit derogatio, vel si in genere dicitur « non obstante aliqua constitutione etiam in concilio generali edita, » prout teste Fagnano, loc. cit., n. 31, sæpe resolvit Rota, et tenet Decius, consil. 341, n. 10; Garcias, *de Benefic.*, p. IV. cap. v. n. 40.

68. *In communicatione generali privilegiorum non fit communicatio privilegii exemptionis a decimis, nisi exprimat.* — Insuper notandum, quod in generali communicatione privilegiorum quantumvis ampla, non communicetur privilegium exemptionis a solvendis decimis, prout allegatis Rotæ decisionibus ac Sacræ Congregationis decretis docet Fagnanus, loc. cit. n. 33; Barbosa, loc. cit. n. 41; Felinus, in c. *Sedes*, n. 3, *de Rescript.* et alii. Ratio est, quia communicatio privilegiorum non se extendit ad ea, quæ non nisi cum magna difficultate conceduntur, uti cum citatis habent doctores, præsertim Jason, in l. I. ff. *de Legat.* 1, n. 21 et 22. Anton. de Butr., consil. 49, testeque Fagnano Sacra congregatio, et Rota. Exemptio autem a solutione decimarum non nisi cum magna difficultate conceditur, Joan. Andreas, in c. *Dudum*, n. 5. *de Privileg.* et doctores citati, Rota in Valentina decimarum 28 novemb. 1630. coram cardinale Lancelloto Juniori, quod procedit, etsi in litteris communicationis fiat etiam expressa mentio de decimis; quia intelligenda est de decimis extraordinariis, non item de ordinariis et prædialibus, nisi etiam et horum expressa fiat mentio. Barbosa et Fagnanus, loc. cit.; Felinus, loc. cit. n. 3; Baldus, in l. *Fistulas*. § *Frumenta* in fin. ff. *de Contrah. empt.*; Pirhing, h. t. n. 62.

69. *Regulares tenentur probare exemptionis privilegium.* — Rursus notandum, parochos et rectores ecclesiarum habere intentionem juris fundatam pro se contra regulares quoad solutionem decimarum (si novalia nutrimenta animalium, et hortos eorum excipias) ita, ut hi docere et probare teneantur exemptionis privilegium, si a decimis solvendis immunes esse volunt. Barbosa, loc. cit. n. 42, citans

decretum Sacræ congregationis. Ratio patet, quia cum etiam regulares de jure communi ad decimas teneantur, utique exemptionis privilegium probare debent, si ab obligatione liberi esse volunt.

70. *Novalia regularium, quid? de iis debentur decimæ, si aliis elocantur: vel propriis sumptibus non coluntur.* — Quæritur III. Quomodo interpretanda ac intelligenda sint tam communia, juriq; communi inserta, quam specialia privilegia exemptionis a solvendis decimis? Resp. I. Privilegium c. *Ex parte*. 10. h. t. quo regulares eximuntur a solutione decimarum de novalibus *Neubruch*, *Neureuth*, intelligi debet de illis terris, et fundis, qui prius nullos, aut modicos fructus afferebant, et quæ ultra memoriam hominum absque cultura fuere, arg. c. fin. *de Privileg.* ibi: « Terra, de qua non extat memoria, quod aliquando culta fuisset, redacta per religiosos viros ad culturam, perpetuo debet quoad immunitatem de non solvendis decimis, novalium jure censi. » Concordat c. *Quid per novale*. 21. de verb. signif. ut proin ex terra, et fundo, qui per decem v. g. aut plures annos memoriam hominum nos excedentes incultus jacebat, de novo cultis decimas dare teneantur. Debent insuper a colonis et conductoribus decimæ dari de novalibus etiam proprie dictis, quando ea pro pensione annua regulares elocant. Abbas, in c. x. h. t. n. 4; Barbosa, ibid. n. 2. et communis aliorum, textu expresso c. *Licet* 11. h. t. concordat c. *Ex parte* 10. eod. ubi solummodo datur exemptio a solvendis decimis de novalibus, « quæ propriis manibus et sumptibus excolunt. » Ratio est, quia privilegium hoc est personale, non reale, consequenter cum re non migrat ad colonos, vel conducentes, vel emptores, prout pluribus citatis Rotæ decisionibus bene docet Barbosa, in cit. c. xi. h. t. n. 1. Pariter tenentur ipsimet dare decimas de novalibus, quæ ab aliis conducunt, textu claro c. viii. h. t. Accedit c. penult. eod. ubi universaliter statuitur, ut « de alienis terris » etiam religiosi decimas reddant.

71. *Quomodo regulares exempti sint a decimis hortorum, et nutrimentorum animalium?* — Resp. II. Privilegium cit. 10, h. t. regularibus concessum, quo immunes sunt a solvendis decimis « de pascuis et nutrimentis animalium, et hortis suis, » intelligi debet de pascuis, et hortis solis propriis, non conductis arg. cit. c. viii, h. t. et c. x, eod. ibi: « De

suis. » juncto c. penult. eod. Item « de solis suis, » quæ propriis manibus, vel sumptibus colunt, et colligunt, non quæ aliis elocant, arg. c. xi. h. t. ob rationem præced. nu. allegatam, et tenet cum communi aliorum Barbosa, in c. x. h. t. n. 2. allegans plures Rotæ decisiones, Abbas loc. cit. n. 3, et 4, ubi insuper addit, dictum privilegium intelligi debere de solis hortis, pascuis, etc. quæ ad proprium usum colunt, non item de illis, ex quibus olera, herbas, et fructus ad vendendum colligunt; alias multæ possent committi fraudes, et non levia emergerent præjudicia locorum parochis, et aliis jus decimandi habentibus, ut si v. g. regulares prædia, vel agros decimi prius obnoxios fraudulenter reducerent ad hortos superfluos prout consideranti patet.

72. *Privilegia exemptionis regulares a decimis de prædiis non de solis novalibus, sed universaliter sunt intelligenda.* — Resp. III. Privilegia specialia corpori juris non inserta cum derogatione concilii generalis c. penult. h. t. allegati, concessa, vi quorum regulares eximuntur a solvendis decimis de prædiis, terris, et fundis intelligi debent non tantum de novalibus, sed etiam de aliis, textu claro c. *Ad Audientiam*. h. t. ubi ratio additur illis verbis: « Nam si intelligeremus tantummodo de novalibus ubi, ponimus de laboribus, de novalibus poneremus. » Dummodo ea propriis manibus, vel sumptibus colant; quia de prædiis, quæ aliis elocantur, vel ad colendum alienis sumptibus traduntur, decimæ a conductoribus, vel colonis solvi debent, arg. c. *Ex parte*. 10, h. t. et c. *Licet*, 11. h. t. ibi: « Licet de benignitate Sedis apostolicæ sit vobis indultum, ut de laboribus, quos propriis manibus, vel sumptibus colitis, nemini decimas solvere teneamini; propter hoc tamen non est licitum vobis decimas de terris vestris subtrahere, quas aliis traditis excolendas. »

73. *Quando, et a quibus debeantur decimæ de prædiis regularium, casu quo aliis colenda traduntur?* — Pro cujus majori intelligentia notandum, variis modis posse prædia, agros, fundos, etc. aliis excolendos tradi.

Primo ut nudis ministris, et famulis, qui sumptibus ipsius domini pro mercede sibi constituta, sive in pecuniis, sive in fructibus consistente fundum excolant: in quo casu certum est, regulares a decimis immunes esse; quia licet non propriis manibus, tamen propriis sumptibus fundum colunt, quod suffi-

cit ad exemptionem a decimis quoad novalia, hortos, et nutrimenta animalium, c. x. h. t. necnon quoad alia prædia, si specialia de eis privilegia habent eos eximentia a præstatione decimarum de prædiis et fundis, quos propriis manibus, vel sumptibus colunt, arg. c. *Ad Apostolicam*. h. t.

Secundo tradi possunt prædia et fundi aliis colenda pro certa pensione annua sive pecuniaria, sive frumentaria, seu in alia re consistente, ita, ut colonus propriis sumptibus et periculo proprio totum colat, omnesque fructus pro se colligat, præstans pro his domino singulis annis vel certam quantitatem pecuniæ, vel certam mensuram frumenti, vel alterius rei, prout fit in locatione, et emphyteusi, etc. in quo casu certum est, quod colonus de hujusmodi prædiis dare debeat decimas, arg. cit. c. *Ex parte*. et c. *Licet*. 11. h. t. Ratio est, quia regulares nec propriis manibus, nec propriis sumptibus colunt. Abbas, in c. x. h. t. n. 2.

Tertio tradi alicui potest prædium, vel fundus ad excolendum pro aliqua certa v. g. quarta, tertia, et dimidia parte fructuum gignendorum ex tradito fundo, ita tamen, ut colonus talis partiarius propriis sumptibus totum colere, atque determinata parte ex fructibus gignendis contentus esse debeat, sive paucos, sive multos, sive nullos fructus fundus afferat. In hoc casu pariter non eximitur fundus, vel prædium a decimis, quia proprie dici non potest coli fundus sumptibus domini, sed coloni partiarii, hoc ipso quod pars coloni partiarii subiciatur fortunæ, ita ut si casu aliquo fundus nihil produceret, vel fructus, antequam colligerentur, grandine aut alio modo destruerentur, nil pro laboribus suis perciperet, cum in tali casu verum esset dicere, dominum pro labore culturæ nihil solvisse, seu propriis sumptibus fundum non coluisse, consequenter a præstatione decimarum immunem non esse. Abbas, loc. cit.; Glossa, in Clem. 1. h. t. *Excolendas*. arg. cit. c. x. et 11. h. t. Secus foret, si in omnem eventum certa mensura frumenti, vel aliorum fructuum præberi deberet colono, sive aliquid, sive nihil produceret fundus; tunc enim vere sumptibus propriis colere diceretur dominus, prout jam annotavimus in proprio modo tradendi. Abbas et Glossa, loc. cit. Pirhing, h. t. n. 68.

74. Præfatam tamen doctrinam intellige, quando privilegium regularium est personale ipsis nempe personis regularium, et non ter-

ris ipsorum datum, ut, si dicitur: «Regulares hos, etc. eximimus a solutione decimarum, de terris et fundis, quas propriis manibus, et sumptibus colunt.» Nam quando privilegium est reale, ipsis etiam regularium terris et fundis concessum tali v. g. modo; «Eximimus hos religiosos eorumque prædia, terras, etc. a decimis:» vel «Omnia prædia, fundi, etc. horum religiosorum immunes sint a decimis;» tunc etiam coloni alieni suis sumptibus colentes prædia talia, sunt immunes a solvendis decimis; uti docet Glossa, Clem. 1. h. t. *Excolendas*; Abbas, loc. cit. n. 4; Pirhing, h. t. n. 69 et alii. Ratio est, quia licet privilegium personale non egrediatur personam, l. *In omnibus*. 68. ff. de Reg. jur. tamen privilegium reale transit cum re, sicut cum eadem transit onus, arg. c. xxxiii. h. t. cum contrariorum eadem sit ratio et disciplina arg. l. i. ff. *De his, qui sunt sui vel alieni*. et l. fin. ff. *de Legat.* 3. Nec refert, quod privilegium reale agris religiosorum concessum sit intuitu ipsarum personarum, quia regulares vim et effectum privilegii tamen percipiunt, dum nempe majorem pensionem exigunt a colono, ob locatum prædium a decimis immune.

75. *Privilegia de decimis sunt strictæ interpretationis: universaliter tamen data, universaliter intelligenda.* — Resp. IV. Cæterum universaliter loquendo, licet privilegia eximentia a decimis ex parte eorum, quibus conceduntur, sint favorabilia beneficia, nihilominus sunt strictæ interpretationis, ita ut nullo modo extendi debeant ultra casum proprium, aut propriam usitatamque significationem verborum, etsi adsit paritas, vel majoritas rationis. Abbas, in c. *Licet*. 11. h. t. n. 2; Innocentius, in c. *Cum dilecti de Donat.*; Suarez, lib. I. *de Decimis*. cap. xviii, n. 6; Pirhing, h. t. n. 70. Ratio est, quia sunt in præjudicium tertii, parochorum nempe, et aliorum jus decimandi habentium, utpote qui per similia privilegia decimis privantur. Privilegium autem in præjudicium tertii est strictæ interpretationis, ita ut cum incommodo alterius concessum non intelligatur, nisi exprimat, l. ii. § *Si quis a principe*, 16. ff. «Ne quid in loco pub.» Quo non obstante privilegium circa decimas absolute, universaliter, ac indegnite datum, taliter etiam debet intelligi, ut non tantum ad bona jam possessa, sed etiam acquirenda extendendum sit, textu expresso c. *Quoniam*. 22. *de Privil.* ubi etiam ratio additur: «Cum nil

exceperit, et potuerit exceperisse, ac in beneficiis plenissima sit interpretatio adhibenda,» quantum nempe patitur proprius casus, ac propria verborum significatio juxta dicta ab initio hujus num.

76. *Privilegium eximens a decimis cessat, quando incipit esse enormiter præjudiciosum ecclesiis parochialibus.* — Queritur, quando nam iterum amittantur, vel expirent privilegia eximentia a solutione decimarum? Resp. I. Quando tale privilegium progressu temporis incipit esse nimis præjudiciosum, et nocivum ecclesiis parochialibus, vel aliis jus decimarum habentibus ipso Jure cessat; ut si v. g. alicui monasterio modicos fundos, vel non adeo multos habenti concessum est tale privilegium, cessat, si postea ejus possessiones agri, et fundi, sive dein donatione, sive emptione, sive per ingredientium professiones acquisiti nimium auferantur, uti si v. g. media, vel major pars agrorum possideatur, consequenter decimæ successive nimium subtrahuntur, indeque parochi enormiter læduntur, Abbas, in c. *Suggestum*. 9. h. t. n. 3. et 4; Barbosa, ibid. n. 1. et communis aliorum, arg. cit. c. *Suggestum*. 9. h. t. et c. *Quid per novale*. 21. de Verb. signif. et c. *penult. de Clericis non resident.* ubi privilegium non residendi, clericis datum expirat, ob præjudicium, quod ex defectu ministrorum emergebat Ecclesiæ. Ratio est, tum quia emergente tam gravi præjudicio res ad eum casum devenit, quem si Pontifex prævidisset, tum generale privilegium non dedisset, arg. cit. *Juribus*; tum quia universaliter loquendo, quodvis privilegium cessat, quando incipit esse enormiter præjudiciosum tertio, uti habet Glossa communiter recepta in reg. *Decet*. 16. de Reg. jur. in 6. *Decet*.

77. *Quinam judicare habet, an privilegium sit enormiter præjudiciosum? Interpretari legem, et privilegia ad quem pertineat?* — Quando nam autem privilegium eximens a præstatione decimarum censeatur enormiter præjudiciosum parochis, vel aliis, et quis de hoc judicare habeat, ponit Abbas, loc. cit. n. 4, hanc regulam, videlicet, quod si notorium et indubitatum est, privilegium esse notabiliter, et graviter præjudiciosum, cesset ipso jure, possitque de hoc judicare, seu id declarare etiam judex inferior, episcopus v. g. per citata jura, l. *Ex facto*, 43. prin. ff. *de Vulg. et pupill.* Si vero sit dubium, esse ad summam Pontificem pro declaratione, an enormiter sit læsivum, recurrendum, arg.

c. *Cum venisset*. 13. de *Judiciis*. ubi Innocentius III. «cum super privilegiis Sedis apostolicæ vertatur quæstio, nolumus de his per alios judicari.» Ratio est, quia ejus est interpretari, cujus est condere, arg. c. *Inter alia*. 31. de *Sententia excommunicat.* ibi: «Unde jus procedit, interpretatio quoque procedit,» et l. fin. c. *de Leg.* Unde si parochus putat, notorium et manifestum esse, se per regularium privilegia in decimis nimium gravari accedat episcopo, eique causam proponat, qui dein vel ipse declarabit, vel existente dubio actorem ad Sedem apostolicam diriget. Ubi notandum episcopo, quod existente præjudicio enormi notorio non possit reducere ad debitam moderationem, sed debeat privilegium totaliter revocare, vel potius ut cessans declarare, uti post Abbatem, in cit. c. *Suggestum*. 9. n. 4. h. t. notat Pirhing, h. t. et alii. Ratio est, quia non apparet ratio, quare magis debeat consistere in una parte, quam in alia, arg. l. i. § *Trebatius*. 18. ff. *de Aqua quotid. et æstiv.*

78. *Ulterius amittitur tale privilegium per non usum quadraginta annorum.* — Resp. II. Privilegium non solvendi decimas secundo amittitur per non usum, seu potius usum contrarium, quo privilegiati regulares decimas per quadraginta annos solvant. Abbas, in c. *Accedentibus*. 15. de *Privileg.* n. 4; Barbosa, in cit. c. *Accedentibus*. et c. *Si de terra*. 6. h. t. n. 3; Felinus, in c. *Cum accessissent. de Constit.* n. 99; Pirhing, h. t. n. 75, et communis aliorum. Textus expressus habetur cit. c. *Accedentibus*. 15. de *Privileg.* ubi etiam ratio habetur illis verbis: «Cum enim tanto tempore contra indulta privilegia decimas solverint, eis renuntiassent tacite præsumuntur.»

79. *Non item per non usum triginta annorum. Præscriptio contra ecclesias non datur, nisi quadraginta annorum.* — Nec obstat c. *Si de terra*. 6. eod. ubi claris terminis dicitur, sufficere ad amittendum privilegium præfatum, si per triginta anno privilegiati solvant Decimas. Nam contra est, quod citatum c. *Si de terra*. 6. h. t. jus antiquum continens sit correctum, a c. *Accedentibus*, utpote jus recentius continente, ut bene advertent doctores citati. Accedit, quod jure novo universaliter contra Ecclesiam etiam minorem quæcumque, ac privilegia ejusdem non nisi quadraginta annorum admittitur præscriptio, textu claro c. *de Quarta*. 4. et c. *Mud.* 8. de